



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Oratio explicans plurimas Dei proprietates, 29

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

laudabilis valde. Hunc itaque mens diligat, lingua canat, manus scribat; atque in his sanctis studiis, fidelis animus se totum exerceat. Hujus videlicet caelestis rhetorici suavissimis dapibus, vir desideriorum & coelestium contemplator assidue reficiatur; ut hoc coelesti pabulo saginatus, clamet clamore magno, clamet totis medullis cordis, clamet in júbilo, & ardentissimo mentis desiderio dicat.

## CAPUT XXIX.

*Oratio explicans plurimas Dei proprietates.*

1. **O** Summe, optime, omnipotentissime, misericordissime, justissime, secretissime, praesentissime, pulcherrime & fortissime, stabilis & incomprehensibilis: invisibilis, omnia videns, immutabilis, omnia mutans; immortalis, inlocalis, interminus, incircumscriptus, nusquam finitus; inestimabilis, ineffabilis, inscrutabilis, immotus, omnia movens, non investigabilis, indicibilis, metuendus atque terribilis, honorandus atque timendus, venerandus atque reverendus; nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia, & in vetustatem perducens superbos, & nesciunt.

2. Semper agens, semper quietus, colligens, & non egens; omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione; omnia creans, protegens, nutriens, & proficiens; quærens, cum nihil desit tibi; amans nec æstuans, zelans & securus es. Pœnitet te, & non doles; irasceris, & tranquillus es;  
opera

opera mutas, sed non consilium; recipis, quod non invenis & numquam amisisti; nunquam inops, & gaudes lucris; nunquam avarus, & usuras exigis; supererogatur tibi ut debeas.

3. Et quis habet quicquam non tuum? Reddis debita, nulli debens: donas debita, nihil perdens. Qui solus vivificas omnia; qui creasti omnia, qui ubique es & ubique totus, qui sentiri potes, videri non potes: qui nusquam dees, & tamen ab iniquorum cogitationibus longe es. Qui nec tibi dees, ubi longe es: quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui omnia tangis, nec tamen omnia tangis aequaliter. Quaedam enim tangis ut sint, non tamen ut vivant, sentiant, & discernant. Quaedam vero tangis ut sint & vivant, non tamen ut sentiant & discernant. Quaedam vero tangis ut sint, vivant & sentiant, non tamen ut discernant. Quaedam vero tangis ut sint, vivant, sentiant, & discernant. Et cum tibi metipsum nunquam dissimilis sis, dissimiliter tamen tangis dissimilia: qui ubique semper praesens es, & inveniri vix potes.

4. Quem stantem insequimur, & apprehendere non valemus. Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcedis omnia, sustines omnia. Neque ex alia parte sustines, atque ex alia parte superaris: neque ex alia parte imples, & ex alia circumplecteris: sed circumplectendo imples, & implendo circumplecteris, sustinendo superexcedis, & superexcedendo sustines.

sustines. Qui doces corda fidelium sine strepitu verborum. Qui attingis à fine usque ad finem fortiter, & disponis omnia suaviter. Qui locis non distenderis, nec temporalibus variaris. Neque habes accessus & recessus, sed habitas lucem inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre potest. In te manens quietus, ubique circumis totum, ubique prorsus totus. Non enim scindi vel dividi poteris; quia vere unus es: nec in partes efficeris; quia totus totum tenes, totum imple, totum illustras & possides.

5. Hujus videlicet mysterii immensam profunditatem, mens humana concipere non potest, nec oratoria lingua enarrare, neque diffusi sermones, nec bibliothecarum volumina queunt explicare. Si totum mundum libri repleant, tua scientia inenarrabilis explicari non potest: quoniam vere indicibilis es, nullo modo scribi potes, neque concludi, qui es fons lucis divinæ & Sol claritatis æternæ. Magnus enim es sine quantitate, & ideo immensus: bonus es sine qualitate, & ideo vere & summe bonus: & nemo bonus, nisi tu solus, cujus voluntas est opus, cujus velle posse est.

6. Qui omnia de nihilo creasti, quæ sola voluntate tua fecisti. Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, & sine labore gubernas; & absque radio regis, & nihil est quod perturbet ordinem imperii tui, vel in summis, vel in imis. Qui in omnibus locis sine loco habetis: & omnia continet sine ambitu; & ubique es  
 præsens

præfens sine situ & motu. Qui nec mali auctor es: quodque facere non potes, qui nihil non potes: neque unquam te aliquid fecisse poenituit: nec ullius commotionis animi tui tempestate turbaris, nec totius terræ pericula damnum tuum est. Nulla flagitia vel scelera probas aut imperas.

7. Nunquam mentiris, quia æterna veritas es. Cujus unius bonitate facti sumus, & justitia pœnas luimus, & clementia liberamur. Nam nihil cæleste, nihil igneum, nihil terrenum, nihilque quod corporis sensus attingat, pro te colendum est: qui vere es, quod es, & non mutaris. Cui maxime convenit illud quod Græci dicunt, *ὄν*, Latini Ens: quod semper idem ipse es, & anni tui non deficient. Hæc & alia multa docuit me sancta mater Ecclesia, cujus factus sum membrum per gratiam tuam. Docuit me sane, te solum, & unum, & verum Deum, non esse corporeum & passibilem. Nihilque de substantia tua vel natura, ullo modo esse violabile, aut commutabile, aut compositum vel factum. Et ideo certum est, corporeis oculis te non posse sentiri: sed nec ab ullo mortalium in propria essentia aliquando potuisse videri. Hinc etenim patenter datur intelligi, quod unde Angeli te intuentur, inde & nos post hanc vitam te videbimus. Sed nec ipsi profecto te videre possunt sicuti es: nulli denique alii tota, nisi tibi soli nota est omnipotens Trinitas.